

dies sequens proximus est dies Cinerum : & initium Quadragesimæ Romanæ , & dies Dominicus sequens Carnis priuium Ambrosianum : deinde numera 6. hebdomodas ab eo : & habebis Pascha commune Ambrosianis & Romanis. Exemplum in anno 1538. de mense Februarij fuit Aureus numerus 18. ex 11. notando, & Epacta 18. & Kalendæ 12 igitur totum 30. non erit igitur in Februarij coniunctio , demo igitur 30. de 60. remanet coniunctio in 30. die Februarij , & quia Februarius non habet nisi 28. dies erit igitur cōiunctio talis in secunda Martij : & quia kalendæ Ianuarij fuerunt in die martis, erit dies secunda Martij dies sabbati ex dierum computatione & quia in proximo die Martis est Carnis priuium Romanum , igitur Carnis priuium Romanum erit quinta Martij : & die decima Martij Carnis priuium Ambrosianum , & 11. initium Quadragesimæ : additis autem 6. hebdomadibus nostro Carnis priuio confurgit Pascha die vigesima prima Aprilis.

25 Et ex hoc omnia Festa Mobilia , nam tribus hebdomadibus ante Carnis priuū Ambrosianum incipit Septuagesima , nam ipsa est ante Pascha 9. hebdomadibus, Exemplum fuit Carnis priuium Romanum ex precedente die quinta Martij , Ambrosianum die 10. eiusdem , demo dies 21. semper ex die Carnis priuij Ambrosiani , erit Septuagesimæ initium die 17. Februarij : & cum adduntur 5. hebdomodæ ad diem Paschæ habemus diem Rogationis : vnde incipiunt 26. Maij , posito Paschate 21. Aprilis : verumtamen additis diebus 8. sunt Ambrosianæ Rogationes, videlicet die tertio Iunij : additis autem duabus hebdomadibus fiet Pentecostes solemnitas , nam ipsa semper 7. hebdomadibus post Pascha etiam celebratur, vnde erit die 9. Iunij ad diem autem rogationum Romanarum adde 4. & habebis Ascensionem Domini. Aduentus Domini semper est in quarta Dominica ante Natiuitatem, vnde si Natiuitas sit in die Dominico , erit Aduentus Domini maximè distans à natali die , & celebrabitur vigesima septimâ die Nouembris : vnde ab illa die vsque ad diem natalis exclusiue ieiunium celebratur : est autem dies natalis semper in die sequenti à quo fuit initium anni, nisi fuerit Bisextilis , si enim anni initium 1538. fuit Martis, erit dies natalis mercurij, si verò foret Bisextus , esset duabus feriis post videlicet die Iouis , habito igitur die pasce habebis reliqua Festa mobilia, vt in sequenti Tabula pro memoria disposui , nam & Corpus Christi à die Ascensionis vigesimus secundus est : & Trinitatis festum à Pentecoste 7. dies , terminum à quo excludendo.

Carnis priuium Romanum die martis sequente Lunam Februarij.

Carnis priuium Ambrosianum diebus post Romanum 5.

Dominica Septuagesimæ hebdomadibus ante Carnis priuium Ambrosianum.

A Carnis priuio Romano dies sequens Mercurij dies est Cinerum.

A Carnis priuio Ambrosiano ad Pascha hebdomadæ 6.

A Paschate ad Rogationes Romanas heb-

domadæ 5. dies vnus.

A Paschate ad Rogationes Ambrosianas hebdomadæ 6. dies vnus.

A Paschate ad Ascensionem Domini hebdomadæ 5. dies 4.

A Paschate ad Pentecostem hebdomadæ 7.

A Paschate ad Festum Trinitatis hebdomadæ 8.

A Paschate ad Corpus Christi hebdomadæ 8. dies 4.

Dominica quarta semper ante diem natalis Domini dicitur Aduentus , tempus, vsque ad diem natalis dicitur aduentus , quod maximum est dierum 28. minimum 21.

Interuallum est semper tempus intermedium inter diem natalis, & Dominicam proximè præcedentem carnis priuium Romanum, in qua cantatur: esto mihi: vnde cognitio carnis priuio Romano, cognoscitur interuallum: vnde in exemplo fuit carnis priuium Romanum 5. die Martij, igitur Dominica antecedens fuit 3. Martij, quare additis 6. diebus Decembris residuis post Natiuitatem , & totis Ianuario & Februarij , & diebus 3. Martij, fiet interuallum dies 68. videlicet hebdomadæ 9. dies 5. quare bis aut ter legenti duo hæc capitula præcedentia non erit difficile memoria hæc omnia leuiter comprehendere , absque alio calculo : quare licet in cursu Lunæ exactam non dederimus rationem , satis tamen ad cunctas operationes perficiendas sed nimium prolixus fui.

## C A P V T X L I I.

### De Ligationibus auri & metallorum.

Sciendum est quod marcha auri , vel argenti , continet vntias 8. vntia continet denarios ponderis 24. & denarius continet grana 24. igitur vntia continet grana 576. & Characteres sunt tales.

Marcha.	Vntia.	Denarius	Grana.
m̄	oñz	d	gra.

Et sunt duo metalla de quibus fit consideratio aurum & argentum , aurum habet mixtionem argenti quandoque , & quandoque æris, vel alterius metalli , quod in pretio nihilo reputatur, & quandoque habet vtrumque argentum, videlicet & æs: argento autem miscetur æs, vel aliud cuius non cadit consideratio in pretio , sed in pondere , in auro quaritur quantum admiscetur de re nullius valoris , & postquam scitum est hoc: quantum de argento , in argento autem quantum permiscetur de ære , vt sciamus quantum residui sit purum.

Porro proportionem hanc sumunt in characteris 24. pondus characteris est 4. granorum ita quod illud quod est perfectissimum in pondere 24. characterum habet etiam auri characteris 24. & nihil aliud admixtum , quantum vero deficit ex 24. characteris in pondere , de vero auro , & aliud admixtum est , eo deterius est, vt si sint characteris 3. æris igitur non erunt nisi 21. auri, deficient : igitur compositio & massa illa quæ